

PRECES

*Post privatae Missae celebrationem flexis genibus ubique recitandae
Iussu Leonis Papae XIII*

Sacerdos ter dicat cum populo: Ave Maria, gratia plena, etc.

SALVE Regina, mater misericordiae vita, dulcedo,
et spes nostra, salve! Ad te clamamus, exules filii Hevae.
Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrimarum
valle. Eia ergo advocata nostra, illos tuos misericordes
oculos ad nos converte. Et Jesum, benedictum fructum
ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens, o
pia, o dulcis Virgo Maria!

V.: Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix!

R.: Ut digni efficiamur promissionibus Christi.



Oremus.

DEUS, refugium nostrum et virtus, populum ad te clamantem propitius respice:
et intercedente gloriosa et immaculata Virgine Dei Genitrice Maria, cum beato Joseph
eius sponso, ac beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, et omnibus Sanctis, quas pro
conversione peccatorum, pro libertate et exaltatione sanctae Matris Ecclesiae, preces
effundimus, misericors et benignus exaudi. Per eundem Christum Dominum nostrum.
R.: Amen.

Additur invocatio:



SANCTE Michaël archangele, defende nos in praelio:
contra nequitiam et insidias diaboli esto praesidium. Imperet
illi Deus, supplices deprecamur; tuque, princeps militiae
caelestis, satanam aliquosque spiritus malignos, qui ad
perditionem animarum pervagantur in mundo, divina virtute
in infernum detrude. Amen.

Sacerdos ter dicat cum populo: Cor Jesu sacratissimum, miserere nobis.